

## CAPUT PRIMUM



**Aliciam iam incipiebat plurimum taedere iuxta sororem suam in ripa sedere nec quidquam habere quod faceret.**

**Semel et saepius in librum oculos coniecerat quem soror legebat: sed ei inerant nec tabulae nec sermones.**

**'Quid adiuvat liber,' secum reputabat Alicia, 'in quo sunt nullae tabulae aut sermones?'**

**'Itaque cogitabat (nempe ut lucidissime poterat, nam tempestate calida torpebat semisomna) num operae pretium esset surgere et flosculos carpere, modo ut sertum nectendo se delectaret...**

**cum subito Cuniculus Albus rubris prope eam praeteriit.**

**Neque in eo erat quidquam magnopere dignum memoria: neque Aliciae valde insolitum videbatur. Ut Cuniculum sibi loquentem audivit:**

**'Vae, vae! Sero perveniam!'. Sed ut Cuniculus horologium parvulum re vera e sinu subuculae extractum contemplatus usque festinavit, Alicia cito consurrexit.**

**In mentem enim eius subito incidit se numquam antea cuniculum vidisse qui aut subucula indueretur aut horologium portaret quod ex ea extrahere posset.**



**Ita Alicia, curiositate ardens, Cuniculum trans pratum persecute in ipso articulo eu  
m**

**conspcata est cito descendentem in cavum sub vepribus situm.**

**Non diutius morata, Alicia posteam descendit, ne cogitans quidem  
quo pacto omnino rursus emergeret.**

**Aliquod spatium cuniculi cavum protinus recte porrigebatur velut fossa subterrane  
an**

**deinde tam subito declive factum est ut Alicia, antequam  
se sistere posset, inveniret se decidere quasi in profundissimum puteum.**

**Sed sive puteus profundissimus erat  
sive ea lentissime decidebat, descendenti satis temporis ei erat  
ut circumspicaret et miraretur quid proxime eventurum esset.**

**Primo conabatur infra despiceret, ut discerneret quo adveniret.**

**Sed propter obscuritatem nihil videre potuit. Deinde observabat latera putei,  
quae plena armariis pluteisque esse videbat: passimque mappae terrarum et tabulae  
de paxillis pendebant.**

**Praeteriens Alicia de uno pluteorum oram detraxit, titulo inscriptam 'Aureorum dec  
octio malorum'<sup>1</sup>; at praeter spem vacua erat. Et cum ollam manu demittere nollet,  
ne quem infra interimeret, feliciter effecit ut,**

**dum praeterit, in unum armanorum eam deponeret. 'Eia!' secum reputavit Alicia,  
'postquam ita longe decidi, de scalis delabinullius momenti erit! Quam fortem me  
esse putabunt omnes domi! Etiamsi enim**

**de summo tecto delabar, nullum verbum edam.' Quod prorsus veri simile sit!**

---

<sup>1</sup> L'espressione "marmellata d' arance," viene tradotta con la perifrasi "aureorum decoctio malorum" (composta di mele d'oro). Secondo alcuni critici, vi è allusione, nel particolare, alla dinastia degli Orange.

**Deorsum, usque deorsum cadebat. An numquam finis sit decidendi?**

**'Nam miror quot milia passuum' inquit Alicia 'adhuc delapsa sim. Me iam oportet appropinquare ad mediam partem globi terrestris.**

**Cogita enim: fere quater miliens milia passuum oportet esse.'**

**Complures enim huius generis res Alicia in schola didicerat;**

**et quamquam occasio minime opportune erat scientiae ostendendae,**

**quod nemo aderat qui eam audiret,  
tamen bonae exercitationi esse putabat haec iterare.**

**'Ita est,' inquit Alicia, 'id oportet esse spatium verum.**

**Sed quidnam attigi Latitudinis vel Longitudinis?'**

**Omnino nesciebat quid significarent verba 'Latitudo' vel 'Longitudo', sed ei videbantur verba grandiloqua esse.**

**Mox iterum loqui coepit: 'Demiror num prorsus per totum globum delapsura sim.**

**Quam erit mirabile inter gentes emergere quae capitibus inversis incedunt. Antipathiae, credo, vocantur.'**

**Gratius ei erat quod re vera nemo nunc auscultabat, nam verbum 'Antipathiae' non omnino iustum videbatur.**

**'Sed plane necesse erit,' ait 'hos homines rogare quod sit nomen terrae. Dic mihi, sis, domina, estne haec terra Nova Zealandia, an Australia?'**

**Et dum loquitur genu flectere conata est - quasi posset genu flectere quisquam dum per aerem delabatur. An tu, mi amice, id posses? Quam incitiam ea censebit me esse, si hoc rogabo! Rogandum vero non est. Forte nomen terrae alicubi inscriptum videbo.'**

**Deorsum, usque deorsum cadebat.**

**Cum nihil allud esset quod faceret, Alicia mox rursus loqui coepit.**

'Dina certe hodie vesperi me desiderabit.' (Dina feles domestica erat).

'Spero patellam lactis vesperi ei dare eos non esse oblituros.

Dina cara, o si mecum hic infra adesses!

In aere, opinor, nulli sunt mures; fortasse tamen posses captare vesperilionem, qui sane muris similis est. Sed miror num feles edant vesperiliones.'

Alicia nunc incipiebat somno vinciri, et sibi usque dictitabat somniculose,

'Felesne vescuntur vesperilionibus?' et aliquando

'Vesperilionesne vescuntur felibus?'



Quod enim neutrum explicare poterat, paulum intererat utro modo diceret.

Ei videbatur se somniculosam somniare incipere:

se manibus iunctis cum Dina deambulare eamque serio rogare,

'Verone, Dina, edisti umquam vesperilionem?'

cum subito strepitu magno incidit in acervum virgarum

frondisque aridae et "patapumfete"!

Terminus hic fuit casui.

Alicia, nihil laesa, cito surrexit.

Sursum conspexit, sed supra omnia obscura erant.

Sed ante eam erat alter porticus longus:

Cuniculus Albus etiam erat in conspectus per eum properans. Aliciae necesse erat festinare.

Quam velocissime Cuniculum insecuta, forte audivit eum dicere, ut in angulo viae deflexit, 'Per aures setasque meas, quam sero sum!'

Quamquam minimo spatio Cuniculum sequebatur, cum in flexum se vertit, ille e conspectu evanuerat.

Alicia erat in longo atrio lacunare non alto, quod lucernae a tecto ordine demissae illustrabant.

Circum totum atrium erant fores, omnes obseratae; et postquam circuitum fecit utriusque lateris atrii omnesque fores aperire tentavit, Alicia per medium incessit maesta, nam mirabatur quomodo umquam evadere posset.

De improvise invenit mensulam tripodem vitro solido factam; in ea nihil erat praeter clavem auream per parvam, qua primo Alicia putavit se posse fores quasdam atrii aperire.

Eheu! Sive machinatio serarum nimis magna, sive clavis nimis parva erat, certo haec nullas fores aperuit. Cum tamen

bis circumiisset, invenit aulaeum humile quod antea non animadverterat. Post hoc erat ianua parva, fere digitos quindecim alta. Clave aurea parvula admachinationem accommodate, Alicia gaudio maximo eam aptam esse invenit.

Ianua reclusa foramen praebuit in parvum transitum.

Alicia, genibus subnixa, per transitum conspexit hortum multo amoenissimum. non multo maiorem quam muris cavum.

Quantum gestiebat evadere ex illo atrio obscuro et per ianuam protrudere poterat.

'Etiamsi reapse caput meum transeat,' puella infelix secum reputabat, 'id minimo usui sit sine umeris. Utinam me comprimere possem velut telescopium!'

**Id possem,credo, si tantum facere scirem initium.'**

**Tot**

**vero mira nuper acciderant ut Alicia credere coepisset paucissima re vera fieri non posse.**

**Non usui videbatur esse Aliciae ad ianuam parvam permanere, itaque ad mensulam rediit. Speravit enim se in ea alteram clavem inventuram esse, aut saltem librum praeceptorum, quibus usi homines comprimerentur velut telescopia.**

**Nunc ibi invenit ampullam parvam ('Certo non hic erat antea,' inquit Alicia), cuius circum cervicem alligatus est titulus chartaceus. In eo magnis litteris belle scriptum est:HAURI ME.**

**Facile erat dicere 'HAURI ME'; sed Alicia, prudens puella, raptim obtemperare noluit. 'Prius potius scrutabor,' inquit, 'notamne ampulla habeat "venenum" necne.'**

**Fabellas enim delicatas quasdam legerat, in quibus scriptum est pueros ambustos esse vel feris devoratos vel alios casus molestos passos esse, tantum quod reminiscerent quas rationes agendi simplices amici praecepissent.**

**Exempli gratia: 'Ferrum calore candens aduret si diutius aequo id tenebis.'**

**Aut 'Si digitum cultello gravius inseces, plerumque sanguine fluit.'**

**Et (quod Alicia bene meminerat)**

**'Si multum bibas ex ampulla verbo "venenum" notata, serius aut citius stomacho grave est.'**

**Cum autem huic ampullae nota 'venenum' non inesset, Alicia, gustare ausa, potionem suavissimam esse sensit.**

**Saporem vero quodammodo mixtum habebat: repraesentabat enim scribitam cerarum - et lacticinia (id est, recentes casei) - et cydonia - et carnem gallinaceam assam - et cuppedia - et panem tostum butyro illitum.**

**Alicia brevi tempore potionem exhausit.**

**'Eia! Sensu quam insolito afficior!' inquit Alicia.**

**'Videor comprimi velut telescopium!' Atque ita erat. Nunc tantum decem digitos alta fuit. Hilaris ergo vultu erat quod iam esset satis alta ad hortum amoenissimum per parvam ianuam intrandum.**

**Primo tamen paulisper exspectabat si amplius se contraheret. Hoc enim facta est aliquanto timidior.**

**'Cogitandum,' sibi dixit. 'Ad extremum fieri possit ut candelae modo exstinguar. Qualis tunc futura sim demiror.' Et sibi fingere conata est flammulae candela exstinctaformam. Non enim meminerat se umquam talem rem vidisse.**

**Paulo post, quoniam nihil amplius accidit, statuit nulla mora in hortum ire.**

**Vae miserae Aliciae! Ut ad ianuam advenit, se clavem auream parvulam reliquisse invenit. Regressaque ad mensam ad eam repetendam, nullo modo poterat eam contingere, quamquam per vitrum eam perspicue videre poterat.**

**Quam maxime poterat, conabatur pede uno mensae eniti: at vero nimis lubricus erat. Conatibusque defatigata, puellula misera considit lacrimas que fudit.**

**'Tacedum: inane est sic lacrimare!' sibi dixit severe Alicia.**

**Te hortor ut extemplo desinas!' Plerumque quidem se optime admonebat (raro tamen ipsa monitis utebatur): aliquando tam aspere se increpabat ut etiam fleret.**

**Tempore quodam (sic recordabatur) se alapis caedere conata est, quod pila ludens nullo alio competitors contra se ipsam fallaciter egisset. Nam Aliciam lusus insolitus delectabat, quo duos homines se esse simulabat.**

**'Sed vanum est' Alicia meditabatur, 'nunc simulare me esse duos homines!**

**Vix satis mei superest ex quo homo unus eo nomine dignus fiat.' Mox conspicata est cistellulam vitream sub mensa sitam;**

qua reclusa placentam parvulam invenit , in qua verba 'VESCERE ME' uvis passis belle notata sunt.

'Esto, vescar ea,' inquit Alicia, 'et si, me proceriorem faciet clavem contingere potero: sin humiliorem, per ianuam reptere potero.'

Utroque modo in hortum perveniam; et mea nihil interest utrum fiat.'

Paululum edit, sibique anxie dixit:

'Utram in partem cresco? Utro?' In summo capite manum tenebat, ut discerneret quam in partem mutaretur.

Praeter expectationem sensit se nec maiorem nec minorem fieri.

Nempe hoc plerumque fit cum placentam edas.

Sed Alicia exspectare adsueverat nil praeter insolita; itaque prorsus ieiunum et insulsum esse videbatur omnia cotidiano modo continuari. Initio igitur facto Alicia mox devoravit placentam.

#### CAPITA II-IV

'NECOPINATIUS, etiam necopinatus!' inquit Alicia.

(Tantum stupebat ut ad praesens facultas recte loquendi eam omnino desereret.)

'Distendor nunc velut maximum omnium telescopium! Pedes, valete!'

(Cum enim pedes suos despiceret, tam procul esse videbantur ut vix in conspectu essent.)

'Ei! Pedes miselli, quisnam vobis dehinc induet soleas et tibialia, deliciae? Certum est me non posse! Procul ero multo magis quam ut vos curem. Res vobis gerendae erunt quam bene poteritis.'

'Sed benevola eis esse debeo,' secum reputabat Alicia, 'aut forte non incedent quo modo ego ire volam! Quid enim? Soleas novas semper Saturnalibus eis dabo.'

Et usque cogitabat quomodo id efficeret.



**'Soleas oportet a gerulo apportari; et quam mirum mihi erit dona ad meos ipsius pedes mittere! Quamque inusitate inscribetur fasciculus!**

**'Alicia Pedi Suo Dextro S. P. D., (*Salutem plurimam dicit*)**

**In Stragulo,  
Prope Focum.'**

**'Eia vero! Quam inepta dico!**



**Eo ipso tempore caput eius percussit tectum atrii.**

**Nunc vero paulo amplius pedes novem alta erat.**

**Itaque clave aurea parva recuperate ad ianuam horti properavit.**

**Misellam Aliciam!**

**Cum in uno latere decumberet, in hortum uno oculo perspicere solum poterat. At eo penetrare multo magis praeter spem erat quam antea.**

**Ea considit, et rursus lacrimare coepit.**

**'Te pudere oportet,' ait Alicia, 'puella grandis ut es,' (quod iuste dicere poterat!), 'eo modo usque lacrimare.**

**Desistendum confestim!'**

**Sed nihilo minus flebat, atque lacrimas abundanter fudit usque eo donec stagno circumdata est magno, fere quattuor digitorum in altitudinem, quod per dimidiam atrii partem patebat.**

**Paulo postea levem pedum crepitum procul audivit. Lacrimas festinanter abstersit, ut videret quid veniret.**

**Cuniculus Albus erat qui redibat, nitide vestitus;**

**in altera manu manicas candidas haedina aluta factas, in altera flabellum satis magnum portabat.**

**Citato gradu properanter advenit; simulque sibi mussitabat:**

**'Ei, Ducissa, Era Nobilis! Nonne profecto saeva erit si mihi praestolari eam coegero!'**

**Alicia tantum desperavit ut parata esset opem a quovis petere. Itaque ut Cuniculus prope advenit, voce submissa et verecunda sic incepit: 'Domine, te precor, sis,----'**

**Cuniculus violenter trepidavit;**

**et manicis candidis flaberoque deiectis in tenebras se abripuit quam celerrime potuit.**

**Alicia flabellum manicasque sustulit; et,**

**cum atrium vaide calidum esset, flabellum huc illuc agitabat dum usque loquitur.**

**'Eheu!**

**Quam mirum in modum omnia hodie se habent! Heri autem res ut solebant agebantur. Miror num nocte transmutata sim.**

**Agedum; eramne profecto eadem cum hodie mane lectulo surrexi?**

**Haud scio an meminerim me mihi visam esse paulo dissimilem esse.**

**Sed si eadem non sum, porro quaerendum est: Quisnam sum ego? Is quidem nodus praecipuus est.'**

**[...]**



**Eundem mihi erit habitandumque in illa casula incommode.**



**'Sed vae mihi!' inquit Alicia, lacrimis subito effusis,**

**'Eos valde velim capita deorsum esse demissuros!**

**Me maxime taedet hic solam esse!**

**Dum ita dicit, desuper intuita est manus suas;**

**admirata est se alteram manicarum candidarum Cuniculi,**

**dum loqueretur, induisse.**

**'At quomodo id facere potui?' secum reputabat. 'Oportet me rursus minorem fieri.'**

**Exsurrexit et ad mensam ivit ut se ea metiretur.**

**Quantum accurate coniectare poterat, ea nunc erat circiter duos pedes alta,  
et rapide usque minuebatur.**

**[...]**

His verbis dictis pes eius vestigio lapsus est,  
et statim mento tenus in aquam salsam immersa est.

Primo putabat se aliquo modo in mare decidisse.

'Si ita est,' sibi inquit, 'via ferrata redire potero.'

(Alicia semel tantum litus marinum viserat: et inde opinionem habebat ut putaret, quocumque in litore Angliae eas, reperiri aliquot tuguria balnearia in mari, pueros complures palis ligneis in arena fodientes, deinde tecta deversoria ordine disposita, atque post ea stationem in via ferrata.)

Brevi tamen comperit se in stagno lacrimarum esse  
quas fudisset quo tempore novem pedes alta esset.


[...]

Tunc vero aliquid audivit in stagno non procul aquam ictibus verberare.

Propius ea natavit ut comperiret quid esset.

Primo putabat oportere esse phocam aut hippopotamum;

sed reminiscens quam parva ipsa nunc esset, percepit solum murem esse,  
qui simili modo atque ipsa in aquam inciderat.



'Usuine esset' secum reputabat Alicia, 'cum hoc mure colloqui?

Omnia hic infra tam mira sunt ut veri simile mihi videatur eum scire loqui.

Certe experiri nihil nocebit.'

Itaque loqui coepit: 'O mus, scisne quomodo ex hoc stagno emergere possis?

Sane quam taedet me hic circum natare, O mus!'

(Alicia putabat sic recte murem adloqui oportere.

Nihil eiusmodi antea fecerat; sed meminerat se in fratris libro grammatico vidisse:

'Mus - muris - muri - murem - O mus!').

Mus satis curiose eam intuebatur; ei videbatur uno ex ocellis suis nictare,  
sed nihil dixit.

**'Linguam meam fortasse non comprehendit' Alicia cogitabat.**

**'Sine dubio mus Gallicus est, qui in Angliam una cum Gulielmo Victore transvectus est.'**

**(Alicia enim, quamquam multa de rebus historicis cognoverat, non bene intellexit quot annis abhinc res gestae essent.)**

**Itaque loqui rursus coepit: 'Où est ma chatte? ' Haec erant prima verba in libro eius quo linguam Gallicam in schola discebat.**

**Mus subito ex aqua saluit, et totus metu tremere videbatur.**

**'Ei, ignosce mihi!' Alicia cito exclamavit, quod timebat ne exiguum animal laesisset. 'Prorsus oblita sum te felibus non delectari.'**

**[...]**

**Itaque eum revocavit abeuntem: 'Care Mus!**

**Fac, sis, revenias, et nihil aut de felibus aut de canibus colloquemur, si tibi non grati sunt!'**

**Hoc audito, Mus reversus lente rursus ad eam natavit.**

**Aliciae videbatur ira pallidus esse; voce suppressa et tremebunda dixit:**

**'Ad litus stagni eamus.**

**Tum tibi omnia narrabo quae expertus sum; et tu intelleges cur feles et canes oderim.'**

**Confestim ire eos oportebat,**

**nam stagnum satis stipatum fiebat volucris et animalibus, quae inlapsa erant.**

**Anas erat, et Dodo et Psittacus et Aquila, et alia complura animalia rara.**

**Alicia praeunte, tota multitudine ad litus natavit.**

**[...]**

**Re tandem confecta, circulo facto rursus consederunt,**

**et Murem oraverunt ut quid amplius diceret.**

**Mus, dum suspirans ad Aliciam se convertit, dixit:**

**'Causa meorum animi affectuum longa et tristis est!'**

**Alicia, non recte intellegens et caudam Muris mirata intuens, dixit:**

**'Cauda quidem tibi est longa; sed cur eam tristem esse dicis?'**

**Dum Mus loquitur, Alicia de hoc haerebat;**

**itaque hoc fere putabat Miirem narrare:**

**Nero musculo  
inquit Olim  
obviam cui  
fit, 'Ambo  
causam  
agamus;  
Reum fac-  
iam te. -  
Mora non  
est agenda;  
Est lis  
inferenda,  
Nam hodie  
sum oti-  
osus  
plane.'  
Cani  
reddidit  
hic: 'Litem  
agere sic  
Sine iu-  
dicibus  
Sit inane  
valde.'  
'Solutus  
arbiter  
ero! Ait  
subdolosus  
Nero:  
Rem  
totam  
ignoscam;  
Morte  
puniam te.**

[...]

Postquam in stagno natabat, omnia mutata esse visa sunt. Atrium magnum, mensa vitrea, ianua parva plane evanuerant.

[...]

In ea non erat titulus verbis 'HAURI ME' inscriptis; obturamento tamen detracto Alicia ampullae labra admovi.

'Certe scio fore ut quidpiam miri accidat, quotiens aliquid edam aut bibam,' sibi dixit.

'Itaque experiar quid haec ampulla effectura sit. Spero eam me rursus magnam esse facturam; prorsus me taedet tam parvulam et exiguam esse! '

Hoc profecto ampulla perfecit, citius quidem quam sperabat. Priusquam ampullae dimidiam partem exhauriret, caput eius in lacunar pressum est. Necesse ei erat se inclinare ne cervix frangeretur.



Nihilo minus usque et usque crescebat;

ad extremum brachium per fenestram et pedem sursum in caminum

extendit. [...] Mox Cuniculus ad ianua accessit et eam aperire conatus est. Sed aperiri non potuit, quod intro patefacienda erat, et contra eam Aliciae cubitum firme premebatur.

Alicia Cuniculum sibi dicentem audivit: 'Circumibo igitur et per fenestram intrabo.'

'Immo vero non intrabis!' Alicia secum reputabat. Quiescebat donec Cuniculum sub ipsa fenestra audire visa est;

tum subito manu sua extenta aerem arripuit.

Nihil quidem captavit; sed ululatum et ruinae strepitum et fragorem vitri confracti audivit.

Inde coniectavit accidere potuisse ut Cuniculus in plantarum saeptum vitro cancellisque opertum incidisset.

Deinde voce irata Cuniculus clamavit: 'Maeci , Maeci, ubi es?' Tum quispiam, quem Alicia numquam antea audiverat, dixit: 'Hic profecto sum. Mala effodio domine!' 'Mala scilicet effodis!' Cuniculus iracunde dixit. 'Veni huc, et exsolve me hinc!' (Iterum fragor vitri confracti sonabat.)

'Dic mihi, Maeci (*in Italica versione nomina sunt Tonus et Peppus*); quid est id quod in fenestra vides?'

'Nempe brachium est, domine!' (*Verbum locutus est 'barrachium'*)

'Brachiumne dicis, stulte? Quis umquam brachium tanta magnitudine vidit? Fenestram vero totam complet!'

'Profecto earn complete domine; sed tamen brachium est!'

'Tibi sane non esse debet; abi igitur et id aufer!'

Deinde, post longum silentium, Alicia modo susurros nonnumquam audiebat.

'Id prorsus omnino mihi displicet, domine!'

'Fac id quod te iubeo, ignave!'

Postremo Alicia manum suam iterum extendit et iterum aerem arripuit.

Tum vero duo ululatus editi sunt, et novus vitri confracti sonitus.

'Multa quidem saepta vitrea esse oportet,' secum reputabat Alicia. 'Miror quid deinde in animo facere habeant. Quantum ad hoc attinet, ut me e fenestra detrahant, valde velim id fieri posse! Nolo quidem hic intra diutius manere!'

Aliquamdiu opperta nihil amplius audivit. Tum denique strepitum plaustrum rotularum atque voces plurimas colloquentium audivit. Et colloquium fere sic habebatur:

'Ubi sunt scalae alterae?'

'At scalas singulas modo ferre iussus sum. Alteras Gaius habet. Gai! huc eas apporta, puer!'

'Eas hic prope angulum attollite! Immo eas prius colligate - nondum satis alte dimidio porriguntur.'

'Immo vero satis apte positae sunt - ne nimis accurate egeris!'

'Em, Gai! Prende hunc funem!'

'Tectumne onus sustinebit?'

'Cavete illam tegulam laxam! Ai, disiungitur! Cavete, vos infra!' (Fragor magnus auditus est.)

'Quisnam id fecit?'

'Gaius, opinor, erat!'



**'Quis de tecto in caminum descendat?'**

**'Non ego quidem! Tu descende!'**

**'Egomet nolo! Gaium descendere oportet. Audi, Gai! Vilicus te iubet in caminum descendere!'**

**Alicia sibi dixit: 'Itane est? Gaium igitur descendere oportet! Flagitare videntur ut Gaius omnia efficiat!'**

**Minime velim Gai onera suscipere; hic caminus vero angustus est, sed puto me calce ictum dare posse!'**

**Pedem suum deorsum quantum poterat detraxit; deinde opperiebat usque eo donec animal exiguum cuiuspiam generis prope se supra radere insciteque descenderea udivit.**

**'Gaius est,' inquit Alicia.**

**Semel acriter calcitravit; deinde exspectavit dum aliquid accideret.**

**Primum voces universas clamare audivit: 'Ecce Gaius!' Tum Cuniculus solus clamavit: Comprende eum, tu prope saepem!'**

**Deinde silentium fuit; turn multae voces confuse dixerunt:**

**'Caput eius tollite - nunc vinum ei date - nolite eum suffocate - quid tibi fuit, O bone? Quid tibi accidit? Explica nobis omnia!'**

**Postremo infirma et stridens vox audita est ('Gaius est,' inquit Alicia).**



**'Vix quidem scio - Benigne; id satis est. Melius nunc valeo - sed animo multo magis agitatus sum quam ut vobis dicam - solum scio me velut catapultas propulsum esse, et seorsum velut facem caelestem emissum esse!'**

**'Ita vero erat, amice!' ceteri dixerunt.**

**'Domus incendenda est!' Cuniculus inquit.**

**Alicia quam maxima voce clamavit: "Si unam ex his placentas edam,' ea reputabat, 'certe meam altitudinem mutabit.**

**Et cum maiorem me facere non possit, me minorem, opinor, facere debebit.'**

**Itaque, una ex placentis devorata, ea cum gaudio invenit se statim deminui incipere.**

**Cum primum satis parva facta est, ut per ianuam transire posset, e domo cucurrit.**

**Catervam animalium parvorum et avium foris opperire invenit.**


**Misellus Gaius, qui stellio erat, duobus leporibus fultus, in medio erat. Ei aliquid de ampulla dabant.**

**Simul atque Alicia e domo effugit, omnes effuse ad eam accurrerunt. Alicia quam citissime se recepit; mox incolumis in silva densa substitit.**

**[...]**

**Dum omnia inter arbores scrutatur, latratum acrem super caput suum audivit.**

**Citissime igitur suspexit.**



**Catulus immanis erat, qui oculis magnis et rotundis desuper eam despiciebat, et uno pede molliter porrecto eam tangere conabatur.**

**'Misellum catulum!' Alicia blande dixit.**

**Eum sibilo advocare tentavit.**

**Simul autem maxime timebat ne fame adactus forte se comederet, quamvis maxime ei blandiretur.**

**Paene necopinans ramulum humo sustulit, et catulo praebuit.**

**Catulus gannitu laeto omnibus simul pedibus statim in aerem saluit; ramulum cupide appetivit, seque eum vexare simulavit.**

Alicia, ne conculcetur, post carduum magnum refugit. Simul atque ultra carduum apparuit, catulus ramulum iterum appetivit. Per caput pedesque volutatus eum arripere festinavit.

[...]

Denique procul residit; anhelabat, et de ore lingua pendeat, et oculi eius magni semiaperti erant. Haec Aliciae visa est occasio idonea effugiendi esse; statimque profecta usque currebat dum defessa et exanimata fuit, latratusque catuli procul vix audiri potuit.

'Quam lepidus tamen catulus fuit!' inquit Alicia. Culmo ranunculi innixa est, et folio eius pro flabello usa est.

'Iucundum mihi fuisset eum astutias docere, - si modo proceritate apta essem.'

'Vae, paene oblita sum me oportere recrescere. At quomodo id effici potest? Sine dubio aut edere aut bibere quidpiam debeo. Sed quid edam aut bibam? Id scire maximi momenti est.'

Maximi vero momenti erat. Alicia flores et herbam circumspectavit; Boletus magnus erat prope eam situs, aequae atque ea altus. Subter eum et utrimque et pone eum spectavit; tum ei occurrit operae pretium esse summum boletum etiam inspicere.

In digitos erecta constitit, et supra oram boleti intuita est.

Ibi protinus conspexit magnam erucam caeruleam, brachiis compressis, in summo boleto sedentem.

Fumum tabaci ex tubulo longo placide exsugebat; et curae prorsus habebat neque Aliciam neque aliud quidquam.

#### CAPUT QUINTUM



Diu silentio Eruca et Alicia inter se intuebantur.

Eruca tandem tubulo tabaci de ore extracto voce languida et semisomna eam adlocuta est. 'Quis es tu?' Eruca inquit. Hoc dictum non magno stimulo erat ad sermonem incipiendum.

Alicia verecunde respondit: 'Id quidem in praesenti vix scio, domine.'

Scio saltem quis fuerim, cum hodie mane surrexi. Sed ex eo tempore mihi videor compluries esse mutata.'

'Quid illo significas?' Eruca severe dixit. 'Expedi sententiam tuam!' 'Vereor, domine, ut meam ipsius sententiam expedire possim,' inquit Alicia, 'quod videlicet ipsa non sum ego.'

'Non video,' Eruca dixit.

'Timeo ut melius id explicare possim,' Alicia comiter respondit, 'nam praesertim id ipsa non intellego.

Et tantum uno die magnitudine variare animum perturbat.'

'Minime vero, inquit Eruca.

'Tibi fortasse nondum hoc usui venit,' inquit Alicia, 'sed cum in chrysallidem mutata eris (quod aliquando scilicet fiet), deinde postea in papilionem, nonne tibi satis mirum videbitur?'

'Minime hercle vero,' inquit Eruca. 'Forsitan sensus tui non eidem sint,' Alicia dixit.

'Quod ad me attinet, mihi maxime mirum videatur.'

'Tibi quidem!' Eruca fastidiose dixit. 'Quis tu es?'

Sic sermo eis ab integro renovatus est.

Molestius Aliciae erat quod Eruca tam compresse loquebatur; itaque fastidiose voce severa dixit: 'Puto te primam dicere debere quis tu sis.'

'Quam ob rem? dixit Eruca.

Hic etiam Alicia haerebat. Cum ea causam idoneam praebere non posset, atque Eruca mente ingrattissima esse videretur, discedere coepit.

'Reveni huc!' Eruca eam revocavit abeuntem. 'Aliquid volo dicere quod magni momenti est!'

Hoc saltem spem Aliciae excitavit. Reversa igitur rediit.

'Ne irata sis!' Eruca dixit.

'Idne est omne quod dicere vis?' inquit Alicia; iracundiam suam quantum poterat cohibuit.

'Non est,' inquit Eruca.

Alicia exspectare constituit; nihil enim aliud ei erat quod faceret, et Erucam aliquid dicturam esse sperabat quod audire opus esset.

Aliquamdiu silentio fumum exsugebat Eruca. Denique brachiis solutis tubulum rursus ore detraxit.

'Putasne ergo te mutatam esse?' inquit.

'Vereor ne ita sit, domine!' inquit Alicia. 'Reminisci non possum quae solebam; et iterum atque iterum fio aut maior aut minor.'

'Quae reminisce non potes?' dixit Eruca. 'Iam conata sum "Ut Apicula Industria" (textum originale erat poesis "Arguta Theresa" scripta ab Aloisio Sailer, quae narrabat de puella in enatione papilionum intenta; ibi, autem, puellae interest capere apes ad illitas melle suas frictellas) recitare,

sed verba omnia aliter evenerunt quam volui,' Alicia voce tristi respondit.

'Pronuntia "Grandis es aevo, pater Gulielme",' Eruca dixit.

Alicia, manibus compresses, recitare coepit:



'Grandis es atque senex, pater, aevo,' filius inquit,

'Crinibus es canis; et caput est niveum.

Atqui stare soles capite infra saepe reverso;

**Prave nonne facis, tam quia tute senex?'**

**Respondit pater haec nato: 'Iuvenis metuebam  
Ne cerebri noxam munera susciperent;  
Sed postquam mihi certum est esse nihil cerebella,  
Hoc iterum atque iterum multimodis facio.'**



**'Tu grandaevus re vera es,' iuvenis repetivit,  
'Pingue saginatus fis et obesus adhuc;  
At pedibus superis retro in portam saluisti -  
Dic, hoc insolitum quid modo significat?'  
Canitiem quatiens dedit inde sagacia dicta:  
'A puero articulos flexibiles teneo,  
Nardo hoc permulcens (pretio cistellula venit  
Denari); sine me vendere nunc aliquas.'**



**'Debilibus maxillis atque senilibus,' inquit,  
'Sebum mandere quis, nilque magis rigidum.  
Sed tamen anseris ossa vorasti non sine rostro;  
Omnia mandisti. Quomodo tale potes?'**  
**Reddidit haec pater: 'Ad legum studium puer ivi;  
Res cum matre tua semper adhuc agito.  
Inde valens malis factus nervosque ego adeptus  
Vim sermonis eam perpetuo tenui.'**



**Te insuper aevo grandem,' postibi sic adulescens,  
'Aeque nunc oculis quis reputet stabilem?  
At naso extremo rectam anguillam tenuisti.  
Vero habilissimus es; solvere remne potes?'**  
**'Ter responsa dedi nunc, a te terna rogatus;  
Praesta plus decoris;' sic pater. 'Id satis est.  
Mene opus est nugas has continuo tolerare?  
I cito; nam si non, plurima damna dabo!'**

**'Non recte pronuntiatum est,' Eruca dixit.**

**'Non vero omnino recte, opinor,' Alicia timide dixit. 'Aliquot verba nescio quo modo mutata sunt.'**

**'Totum ab initio mendosum est,' Eruca vehementer dixit.**

**Aliquantum temporis silentium fuit. Eruca prima locuta est.**

**'Qua magnitudine vis esse?' rogavit.**

**'Non multum mea interest quam magna sim,' Alicia properanter respondit. 'Sed, ut scis, non sane placet toties mutari.'**

**'Non scio,' inquit Eruca.**

**Alicia nihil dixit. Nemo umquam antea ei toties contradixerat, et sensit se iracundam fieri.**

**'Contentane es, ut nunc te habes? ' dixit Eruca.**

**'Domine, velim quidem paululo maior esse, si non recusas,' inquit Alicia. 'Miserum est quemlibet tres digitos altum esse.'**

**'Altitudo maxime idonea est,' Eruca irate dixit, dum se sursum tollit (exacte tres digitos alta erat).**

**'Sed non ad hoc sum assueta!' Alicia misere se excusavit.**

**Et secum reputabat: 'Utinam haec animalia ne animo tam facile offenso essent!'**

**'Tandem aliquando ad id eris assueta,' dixit Eruca.**

**Tubulo rursus in os inserto, de integro fumum exsugebat.**

**Alicia nunc aequo animo expectabat dum iterum loqui vellet.**



**Mox Eruca, tubulo de ore extractor semel atque iterum oscitavit, et se concussit.**



**Tum de boleto descendit et in herbam repsit. Dum abit, solum dixit: 'Alterum latus magnitudine te augebit, alterum deminuet.'**

**'Cuius rei latus alterum?' Alicia sibi dixit.**

**'Latus alterum boleti,' Eruca dixit, velut si Alicia clara voce rogavisset. Deinde e conspectu discessit.**

**Alicia, in cogitatione defixa, breve tempus boletum observabat; discernere conabatur duo eius latera. Quoniam omnino rotundus erat, rem solvere difficillimum erat.**

**Denique tamen brachia sua, quantum poterat, circum boletum distendit, et manu utraque**

**fragmentum de margine abruptit.**



**'Utrum autem utrumque potest?' sibi dixit; et experiendi causa de dextro fragmentum paulum gustavit. Statim ictu vehementi infra mentum suum percussa est. Mentum eius pedes suos pulsaverat.**

**Quamquam hac subita mutatione multum territa est, tempus non esse perdendum putabat; nam celeriter deminuebatur.**

**Itaque confestim partem frusti alterius edere coepit. Mentum eius tam arte contra pedem compressum est ut os aperire vix posset. Postremo autem hoc effecit; et paulum frusti sinistri devoravit.**

**'Bene quidem est! Caput meum demum solutum est!' Alicia laete dixit. Cito autem trepidavit, nam umeri eius, ut ei videbatur, evanuerant.**

**Ut despexit, nihil videre potuit praeter collum praelongum, quod e fluctibus frondis viridantis longe infra iacentibus velut stirps surgere videbatur.**

**'Quaenam sunt omnia illa viridia?' Alicia dixit. 'Et quo umeri mei recesserunt? O manus misellae, cur vos videre non possum?'**



**Dum dicit, manus quassabat; at nihil consecutum est, nisi quod procul infra frons viridis agitabatur.**

**Quoniam evidenter manus eius sursum ad caput levare non poterant, caput ad manus suas demittere tentavit. Reperire gavisus est collum suum velut serpentem in diversas partes flecti.**

**Id modo flexibus decoris ex sua sententia deorsum curvaverat, et in frondem se demersura erat, quam cacumina arborum, sub quibus dudum vagabatur, esse invenit, cum sibilus acer eam se recipere coegit.**

**Columbus magnus in faciem eius involaverat, et violenter alis suis eam pulsabat.**

**'Serpens!' Columbus vociferatus est.**

**'Serpens non sum!' Alicia iracunde dixit. 'Mitte me!'**

**'Serpentem te esse iterum!' denuo Columbus inquit. Voce suppressiore loquebatur, et singultu quodam addidit: 'Quamquam omnibus modis conatus sum, nihil tamen eis placere videtur!'**

**'Non omnino coniectare possum quid dicere velis!' ait Alicia.**

'Nidulare conatus sum in summis arboribus, deinde in ripae aggeribus, deinde in saepibus,' Columbus porro negligenter dixit. 'Sed isti serpentes! Nihil eis acceptum est!' Alicia magis magisque haesitabat; sed nihil amplius dicere constituit dum Columbus finem faceret.

'Satis molestum est ova incubare,' ait Columbus.

'Sed diu noctuque ab serpentibus praecavendum est! Trinum vero nundinum somnum capere non possum!'

'Magnopere doleo quod vexatus es,' ait Alicia.

Intellegere incipiebat quid Columbus in animo haberet.

'Et cum primum procerissimam silvae arborem incolui, atque me denique tutum ab eis fore statui,' Columbus voce etiam magis ululanti porro dixit, 'nimirum ei tortibus longis de caelo descendunt! Ei, serpens!'

'At me non esse serpentem itero,' ait Alicia. 'Immo sum -,'

'Dicdum! Quid es?' ait Columbus. 'Video te aliquid fingere conari!'

'Sum puellula,' Alicia dubie dixit; nam quotiens eo die mutata esset reminiscebatur.

'Scilicet probabile est!' Columbus maxima contempione dixit. 'Equidem ego complures puellulas olim vidi; nullam autem tanta colli proceritate! Non ita est; serpens es, ne igitur negaveris. Fortasse nunc dices te numquam ovum gustavisse!'

'Certe ova gustavi,' ait verax Alicia. 'Sed puellae scilicet aequae ac serpentes ova edunt.'

'Id non credo,' ait Columbus; 'si autem verum est, necesse est eas serpentes quosdam esse. Nil amplius habeo quod dicam.'

Aliciae quidem haec notio nova erat; itaque aliquantulum temporis siluit.

Columbus igitur porro dixit: 'Certo scio te ova quaerere. Nil ergo mea interest puellane an serpens sis!'

'Mea autem magni interest,' Alicia cito dixit. 'Sed reapse ova non quaero; atque si ea quaererem, tua non cuperem, nam ova incocta mihi displicent.'

'Abi igitur!' Columbus morose dixit, dum in nidum suum considit.

Alicia inter arbores quantum poterat se demisit; collum eius identidem ramis implicabatur, et saepe ei necesse erat gradum sistenti id resolvere.

Mox recordata est se frusta boleti in manibus adhuc tenere; initio caute facto, primo alterum, deinde alterum admordebat. Aliquando procerior, aliquando humilior fiebat; denique ad iustam altitudinem se deminuit.

Diu ab iusta amplitudine longe afuerat; itaque haec principio mira videbatur. Brevi tamen tempore ad id adsueta erat. Ut solebat, secum loqui coepit.

'Dimidium confectum habeo eius quod in animo habebam. Omnes hae mutationes me perturbant. Numquam certum mihi est qua forma ad tempus usura sim! Nunc autem redii ad iustam magnitudinem; nunc porro illum hortum amoenum intrare oportet. Miror equidem quo modo id fieri possit!'

Dum haec dicit, in locum apertum ingressa est, ubi parva domus circiter quattuor pedes alta erat.

'Quiqui hic habitant,' secum reputabat Alicia, 'haudquaquam debeo ad eos accedere dum tam magna sum. Non dubie terrorem eis incutiam!'

Frustum igitur dextrum denuo admordere coepit; nec prius ad domum accedere ausa est, donec ad novem digitorum altitudinem se redegit.



